



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötcl, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Epilogvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)



## EPILOGVS.

**H**Æc pauca de mysterijs, in Litanij, Beatissimæ Virginis, APIS  
mea ARGUMENTOSA delibauit,  
mel fortè non ingratum labijs puris.  
Concludo ergo cum mellifluo Bernar-  
do: *a Sileat misericordiam tuam, O Virgo  
Beata, si quis est, qui inuocatam te in necessi-  
tibus suis, sibi meminerit defuisse. Nos qui-  
dem seruuli tui, cæteris in Virtutibus congau-  
demus tibi, sed in hoc potius nobis ipsis. Lau-  
damus Virginitatem, humilitatem miramur,  
sed Misericordia miseris sapit dulcius, Mi-  
sericordiam amplectimur charius, recorda-  
mur sepius, crebrius inuocamus: hæc est enim,  
quæ totius Mundi reparationem obtinuit, sa-  
lutem omnium impetrauit. Quis ergo Mise-  
ricordie tuæ, O Benedicta, longitudinem, &  
latitudinem, sublimitatem & profundum  
queat intelligere? Nam longitudo eius vsque  
ad diem nouissimum, inuocantibus eam, sub-  
uenit.*

*a. Serm. 4. de Assumpt.*

uenit vniuersis. Latitudo eius replet Orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & Sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restorationem, & profundum eius, sedentibus in tenebris, & vmbra mortis, obtinuit redemptionem.

Quid ergo ad MARIAM accedere trepiditas, humana fragilitas? a nihil austerrum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens, lac & lanam.

Ah cui animus non crescat sub tantæ Patronæ protectione? quis in precibus eius non magnam spem ponat, cuius efficaciam orandi apud Deum, non tantum singulorum, sed & omnium simul Sanctorum preces superare admodum probabile est; b ita vt si contingeret omnes Angelos, & Sanctos, aliquid à Deo impetrare non posse, hanc ego VIRGINEM DEIPARAM (si æquum ei videretur, à Deo id postulare) existimem haud dubio impetraturam. Rursus, si Bma Virgo

a Idem Ser. 7. super signum magnum.

b Suar. To. 2. Disp. 23. Sect. 2

Virgo aliquid à Deo serio postularet, licet tota Curia Cœlestis, ex peculiari quadam sancta intentione dissentiret, (sicut de pio quodam certamine inter Angelos apud Daniele legimus) a potentio- rem tamen futuram esse censeo, maioris- que efficaciam, & valoris Orationem B. Virginis, quàm & Angelorum, & Sanctorum simul omnium.

a Cap. 10.

Ergo Virgo miserere,

Et à malis me tuere.

Fida Mater filiorum,

Et Patrona miserorum:

Audi preces magni Reï,

Qui pauescit iram Dei;

Mecum simul supplica,

Pande Nato viscera:

Meum scelus expiabis,

Et quod peto impetrabis,

Hic in terris gratiam,

Et optatam patriam.

Amen.

Si